



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

4. Ex eadem historia disci, qualis vindicta, & quale Dei iudiciu[m]
calumniatoribus sit metuendum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

buit esse etiam patiens, si voluit mereri patientiæ coronam. An frustra toties Magister noster monuit, iniurias esse ferendas? At qui nemo potest iniuriam pati, nisi innocens, in ea quidem re, in qua iniuriam sustinet. Grandia, & toties iterata passus est Lucius? non passus est virtute sua maiora. Naucerus nauim per maria ducturus saburra onerat, sed onerat ad eam mensuram, vt nec onere nimio grauata mergatur; nec leuitas tanta sit, vt nullo negotio in transversum eat. Ad eundem modum diuinus ille mundi hominumque gubernator, ita cursum nostrum temperat malis iniurijsque, vt sint nobis in saburram, non in subuersionem, ne vel extollamur, vel opprimamur, sed vt rectè temperatis oneribus nauigemus, & ad optatum gloriæ cælestis portum perueniamus. Vix quisquam est, qui non calumnijs subinde pulsetur; immò & probetur. Vt enim vasa vitrea franguntur, cum durius tanguntur, aurea atque argentea etiam malleis percussa extenduntur, ita homines pro fragilitate sua, vel patientia sua, calumnijs aut fatiscunt, aut inclarescunt. Moyses rubum ardentem, nec tamen combustum videns dixit: *Ibo, & videbo visionem hanc magnam, quomodo ardeat rubus, & non comburatur?* Magna est visio, si vides hominem inuidiæ, calumniæ, tribulationum igne circumdatum, & velut ardentem, tamen non comburi, non vllum impatientiæ, aut vindictæ promere verbum. Talis lucet, & fit per ipsam infamiam clarior illustriorque: quando illius innocentia tandem, tandemque etiam patientia mundo detegitur. Quid enim mirabilius generosiusque, fuit, quàm Lucij patiens charitas, & tolerantia impudentissimæ calumniæ toties repetita? Nimirum vel Seneca teste, *Deus bonum virum in delicijs non habet, experitur, indurat, sibi illum preparat. Quia marces sine aduersario virtus. Tunc apparet, quanta sit, quantum valeat, polleatque, cum quid possit, patientia ostendit.* Et infra. *Ego non miror, si quando voluptatem capiunt Dijs, dum spectant magnos viros colluctantes cum aliqua calamitate. Nobis interdum voluptati est, si adolescens constantis animi feram venabulo exceptit, si leonis incursum interritus pertulit, tantoque spectaculum est gratius, quanto honestior id fecit.*

Exod. 3. 25

Senec lib. de prouid. c. 1. Ibid. c. 2.

IV.

Quòd si hæc non sufficiunt ad consolandos eos, qui calumnijs vexantur, meminerint illius futuri iudicij, in quo stabunt in-
si in

si in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt. Tunc vicissim, & longè magis, coram toto mundo, in ruborem dabuntur improbi calumniatores. Quamquam non semper Deus vsque in alteram vitam differt hanc pœnam talionis; plerisque falsos testes, iniquos accusatores, impios conspiratores, qui alijs insidias struunt, calumniam coquunt, apud superiores, inferiores, & pares, nomen bonum proscindunt; suspiciones suas animo amaro excogitatas, pro certis atq; exploratis deponunt, & quidquid somniant, oraculum putant; vrgent, instant, inculcant, vt sententia in innocentes feratur: hos, inquam, tales Deus, plerisque etiam in hac vita finit accusari, & in mendacijs suis deprehendi, vicissimque damnari, infamari, in odium omnium atque execrationem induci. Nihil enim est detestabilius, quàm homo, qui desperatâ malitiâ, vel ne cogatur iustum debitum soluere (quod multos facere experimur pro dolor) vel ne sua in lucem veniant scelera; vel ne id ipsum, quod in altero accusat, credatur de accusante, alios audet calumniari. Talis quisquis est, in *Nu- to* suam imaginem intueatur. *Nurus* terræ filius, è luto ex inopia eductus, habitus amanter, tractatus liberaliter, pro beneficijs maleficus fuit. Malè se vindicasset, si læsus, si prouocatus iniurijs iniurias reposuisset; peius, si non læsus, ignotum, peregrinum, læsisset; pessimè, quia amantem, sine vlla data causa, & inuasit conuictijs, & ad iudicem detulit, quem sciuit innocentem; & in tota vrbe vbique diffamauit. Quàm multi tales, etiam non quæsti reperiuntur? à quibus sunt dilecti, promoti, adiuti, quibus vitam & omnia debent, eorum nomen proscribunt; eorum fortunis & vitæ insidiantur? atque vt eos stirpitis eradicent, nihil non mentiuntur? Neque enim solùm sunt ingrati, vt dici possit, *Decem mundati sunt, & nonem vbi sunt?* sed etiam infesti, & in patronos, heros, patres suos insani, vt verum sit, si talis conqueratur: *Filios enutriui, & exaltavi, ipsi autem spreuerunt me.* O quàm verè prædixit Apostolus: *Erunt in nouissimis diebus homines seipsos amantes, cupidi, superbi, blasphemæ, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, &c.* Noui homines, qui, oblata opportunissima occasione, vt debitum aliquot millium florenorum redimere possent, ab amico quingentos precariò peticerunt, vt mutuo darentur: qui

font. lib. de pecc. c. 1.

Luc. 17. 17.

Isa. 1. 2.

2. Tim. 3. 2.

ad Tim. 3. 14.

1. 2. 3. 4.



vt succurreret, ipse eosdem quingentos aliunde mutuò petijt: Redemptis postea plus quàm tribus millibus florenorum, exiguà summâ, mutuò petità, quid non excogitarunt illi homines calumniarum, vt nec quingentos quidem reddere cogerentur? Itaque, qui illis succurrit, pro gratiarum actione, ipse sapius censum, ac tandem summam omnem soluere debebat. Quid talem sensisse, dixisse, scripsisse putemus? Immo, quid illos ingrattissimos calumniatores meruisse? An non & nostra ætate *Nutos* esse dicamus? qui ipsos iudices cauillari, instigare, urgere precibus & minis audent, vt procedant ad damnandos innocentes? quorum causa ad cælum clamat? *Non referre beneficij gratiam, & est turpe, & apud omnes habetur.* *Ingratus est, qui beneficium accepisse se negat, quod accepit,* ait Seneca: *Ingratus est, qui dissimulat. Ingratus, qui non reddit. Ingratissimus omnium, qui oblitus est.* Quid ergo is, qui beneficium calumnijs compensat? barbarus, bellua, gehenna dignus. Certè dignus virgis, & furca, in qua *Nuto* sua fait calumnia compensata. Neque enim finem suum consecutus ad opes *Lucij*, sed ad coruos peruenit, qui ei exequias cecinerunt.

Senec. lib. 3. de benef. c. 1.

C A P V T L I.

Non mentis tantum & sermonis, sed etiam operis iniurias suam habere talionem, è sacris litteris ostenditur.

I.

CAlumina huc vsque commemoratæ, quoniam non in verbis dumtaxat steterunt, sed iugulum quoque aliorum petentes, per iugulum authoris redierunt, appositè possunt etiam referri ad classem eorum, qui idcirco, quia mala alijs fecere, mala patiuntur. Nunc tamen ex instituto agendum est de iniurijs, quæ sicut non iam in iudicijs temerarijs, aut verbis tantum, sed etiam reipsa consistunt, ita etiam paribus poenis compensantur. Quod fieri tam sacrorum, quàm profanorum scriptorum dicta, narratæque comprobant. Quorsum enim illud Terentij? *Ne quid suo suat capiti.* Quorsum istud Plauti? *Iam captor ipse captus est.* Quorsum hoc Horatii? *Gracia capta ferum captorem cepit.* Quorsum Plato ait? *Mihi videtur, ô Socrates, maxime capi ratio, qua captabat.* Quorsum commune prouerbium? *Captantes capti sumus.* Quoties enim homines iacidunt in pedicæ,

Terent. in Phorm. Plaut. in Epidico. Plato in Theæteto.